



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Joannis Pierii Valeriani Bellunensis Hieroglyphica, Sive De
Sacris Ægyptiorum Aliarumque Gentium Literis,
Commentariorum Libri LVIII**

Valeriano, Pierio

[Lipsiae] ; Francofurti Ad Moenum, 1678

Cancer.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14259

A turus ait, διὸν δὲ ἀδύνατον τὸ τῆς ζωῆς ὄστρον, propterea quod os animalis huiusmodi difficulter admodum frangi dissolvive potest, quod in munimenti significato quid sibi velit Coturnicis os, haudquaquam video.

Unde testudineum incisum dicitur.

MORS DIFFICILIS. CAP. XXXV.

Hominem lethalibus vulneribus quantumvis alte acceptis difficilime morientem, per Testudinis abscisum caput apte pinxeris: quandoquidem tanta inest ejus carni vivacitas, ut earum caput praefertimque marinarum, avulsum, busto conniventes aliquamdiu oculos ostendet, connitenteque ad admotam manum: quinetiam si ad os eam admoveas, mordere etiam adnitatur.

SEGNITIES. CAP. XXXVI

Lias pigrum segnemque hominem, aut rei cuiuspiam tarditatem atque contationem significare qui vellent, Testudinem gradientem pingere consueverunt, quam Pacuvius feliciter Tardigradam appellavit: lento enim adeo gradu movetur, ut in proverbium emanarit in segnes & pigros. Hinc Plautinus Aegio, Testudineum hunc tibi grandis gradum, inquit, si fuisse sumptero. Et apud Ammianum lepidissimum distichon legas de Testudinis tarditate:

Θᾶπρον ἔην λευκὸς κόρρακι, πηνάς τε χελώνας

Εὐρέην, ἢ δόκιμον ῥήτορα καὶ παιδοκνή

Promptius esse albos Corvos, volucesq; Chelonas,

Quam quemquam esse probum rhetor Cappadocem.

Huc referri potest Adagium Diogeniani, Περὶ τῶν χελώνων ἡ ἀργότης. τὰ δ' αὖτὸν ποδα. Prius testudo cursum leporem praeterierit.

Quinetiam asserunt animal hoc contagiosa adeo pollere segnitie, ut si pes ejus dexter inferatur navigio, id ire tardius credatur: quod observarunt Magi.

MORDACITAS. CAP. XXXVII.

Sunt qui mordacissimum hominem atque egregie maledicum, per Testudineum caput exertis dentibus intelligi velint: nam Testudo ore est omnium robustissimo, quippe quae quicquid dentibus apprehenderit, vel lapidem etiam perfringit ac devorat.

PELOPONNESII. CAP. XXXVIII.

IN Peloponnesium numis Testudo cudebatur: unde, ut legere est apud Pollucem, dictionem illud emanarit, τὰν ἀρετῶν καὶ τῶν σοφῶν νικᾶν τὴν χελώναν, quod in adolescentiae nostrae praeludiis nescio quibus ita transtulimus:

Quando Cheloni vincitur sapientia,

Atque ipsa virtus, Atticum ut proverbium est.

Unde obolum Eupolis καὶ τὴν χελώναν dixit. Ad id vero quod Peloponnesiaca erat moneta, lapide Testudinis cum Achaei expeditionem adversus Zacynthios meditarentur, eos admonuit, ut caverent ne more Testudinum caput extra Peloponnesum proferentes, in periculum aliquod inciderent.

A. T. Livio de bello Maced. lib. 6. Meminit et Plutar. in Vita T. Flamini.]

DE CANCRO. CAP. XXXIX.

Testudo in numis observata, alterius numi reminisci facit, in quo Paguri forma cusa est: quare hinc ad ejus generis significata transimus,

COELI. CAP. XL.

Cancer in numis, compabile scilicet genus id, quod corpore est obrotundiore, cuiusmodi plerique caeleste signum figurant in Zodiaco, Chiorum indicat Rempubl. Tradunt id & Pollux & alii: sed enim nisi quispiam author esset, numus argenteus id fati indicaret, in quo Pagurus is est cum inscriptione superne ΚΑΙΩΝ, inferne ΑΒΤΚΙΠΠΟΣ.

SPEI FRUSTRATOR. CAP. XLI.

Plerique hominem a pulchris inceptis desistentem, & spem omnium ignaviter frustrantem, intelligi cum vellent, Gammarum nostrum fluviale pingere soliti sunt, manu ad os ejus injecta: nam is, cum a te capi facillime posse putes, retrorsum velocissimo sese cursu ejaculatur: unde vulgo etiam in aliqua re falsus, quam se nactus arbitrarentur, Gammarorum venationem objicimus, Hac vero recessus obliquatio adeo Cancris propria est, ut Aristoph. Pace, dixerit, ὅποτε νικήσεις τὸν ὕψου καερί-

Uu

καερί-